



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 7. Præter suam, sed non præter Dei mentem, plus efficit versu, Abbas,
quam destinat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

Psal. 138

§.

omnes sæpe nescij, cum Deo, immò Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciùsque sinit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat; vulnere indigentem, & ex eo ictu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

§. VII.

Præter suam, sed non præter Dei mentem, plus efficit versu, Abbas, quàm destinat.

Cæsarius

lib. 4.

cap. 55.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina Prouidentia, mirabili casu, in ordine Religioso, conseruauit. Is à fallaci dæmone, & Mundi illecebris irretitus cogitauerat cœnobio, & Deo nuncium remittere. Ea, in cogitatione noctes dièsque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, &, alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quòue modo, ordinem deferere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos

tinos cantus neglexerat. Ventum erat ad
Landes. Ibi, dum Canticum Habacuc psal-
 leretur (erat enim feria sexta) Abbas Phi-
 lippus, eius postea rei testis, velut circitor,
 vigilias obibat, visitabatque fratres, an rei
 diuinæ animis adessent. Inter circumeun-
 dum, reperit Monachum illum, tentationi
 vacantem, & vice cantus, nictantem. Quid
 aliud censuisset, quam somno victum ac se-
 misopitum esse? Igitur, tanquam ad dormi-
 tantem, se inclinans, versiculúmque illum
 ipsum, qui eo temporis momento canendus
 erat, in aures vocaliter admodum ingessit.
 Erat autem casu versiculus ille: *Egredietur* Habacuc
diabolus, ante pedes eius. Hac voce, & ille ad 3.
 se, & tentatio ab illo ijt. Existimans enim,
 Abbati cogitationes suas è cælo reuelatas,
 eaque propter, his Prophetæ verbis, castiga-
 tas; ipse quoque non aliter Prophetam in-
 telligens, quàm si de eiusmodi desertore
 esset locutus, noluit maledictionem hanc
 abeundo mereri, & diabolum viæ suæ ducem
 habere. Itaque plagam suam Abbati patefe-
 cit, qui mirari satis non potuit diuinæ
 sapientiæ, per tam inopinatum
 exitum, medicinam.

10550

C 2

§. VIII.